

rum adhortationibus antea adduci potuerunt, ut Lucensis belli causa arma induerent, periculi, quod sociis ex ea re imminerebat, admoniti, ad Philippum miserunt, qui dicerent: mirari se, Genuenses, qui alieni juris essent, tam validum exercitum adversus Florentinos comparasse. Quanquam nemo ignoraret Picininum, & qui cum eo in Hetruriam transiverat, Lavellanium, jam pridem non Genuensium, sed Philippi stipendia facere. Aut proinde standum esse fœderibus, dicere, nec alterius partis sociis insidiandum; aut, si in animo habeat, Genuensium ministerio Lucensibus opitulari, ne gravaretur, si deinceps & Veneti Florentinos socios auxiliaribus copiis juvare cœpissent. Demum in ejus arbitrio esse, vellet nec ne, pacem quam cum Veneto sanxisset, inviolatam manere. Nam quod ad se attineret, tam diu fœdera se rata habituros polliceri, quoad sociorum res per Philippum & alios ocio florere vidissent. Quod quum longe aliter evenire cernebant, aut si vellet, absteret Philippus in socios res novas moliri; aut si pergat Florentinum nomen laceffere, sciret Venetos pro eorum salute jam dudum ad arma & bellum spectare. Secundum hanc denunciationem, etsi nihil certi ab eo legati domum retulere, haud tamen placuit, tam cito arma capere. Interim Picininus ingenti prælio Florentinos ad Auferim vicerat. Quod ubi Venetias perlatum est, tum Patres haud ultra differendum rati, bellum decernunt; & ut Franciscum Sforciam, post Lucensem illam expeditionem in Mirandulanis se finibus tenentem, ad suum traherent stipendium, sedulo dant operam. Florentini quoque eum sibi jungere studio quærebant: ad quos ille ob paternam amicitiam magis inclinabat. Sed quum ea rescivisset Philippus, ut aliquo arctiore vinculo ferocissimum juvenem sibi devinciret, unicam filiam, Blancam nomine, in matrimonium ei se daturum pollicetur; facit ad hæc illi spem, si nullam deinceps masculam stirpem tulisset, fore ut eum in totius principatus successorem institueret. Ex Montani commentariis didicimus, ob copiarum imperium Picinino demandatum, veritum

1430

*Philippus
Sforcia
filiam offert
& successorem.*